

1570 mos titulos ademptos; Aloysium Bonricium adversus Barbari pollicita Venetiis detentum; nihil non in se hostile a Venetis actum. Neque minus acres stimulos irato Cubates ad eum a Mehemete perductus subjecerat, quem de itinere, de Venetias adventu, de Senatus responso, bellicque apparatus cum esset percunctatus, ab eoque singillatim de cunctis edoctus, inconstans animi adeo in diversa rapiebatur, ut nonnunquam Venetorum maritimis viribus, christianorumque Principum auxiliis territum, susceptæ sententiæ poeniteret; aliquando majori ira, ac rabie concitatum, ac fervescentem, tumidi spiritus inflarent, atque assentatorum turba ad omnia prospero eventu speranda, ac perficienda eveheret. Quocirca, Barbaro legato custodiis adhibitis, domo egredi, & Reipublicæ negotia procurare interdicit. Memphis, atque Aleppi Bassis, ut idem adversus Alexandriæ, & Assyriæ consules, qui in eas regiones Venetis juri dicundo a Senatu mitti solent, efficiant, præcipit; qui jampridem detenti, datis vadibus, se ex Turcicis ditionibus non abituros, neque bona asportaturos, liberati restituti fuerant.

*Marcus
Antonius
Barbarus,
legatus a
Turcis in
custodiam
traditur.*

Interea in vulgus de Venetorum, aliorumque Principum apparatu fama in dies gliscente, ingens perplexitas, metusque suboriebatur; quonam christiana classis se se verteret, ambigere; ne ad Cypriam expeditionem avertendam Hellespontum ingressa, Byzantium improvise adoriretur, vereri. Ob id arces, quæ olim Sestus, & Abidus, nunc *Dardanelli* vocantur, communiri, atque severiori custodia tueri Selymus jubet. Græciæ Beglierbego in Peloponnesum cum Græcorum copiis misso, classis discessum urget. Cum antea Amurathes quinque ac viginti stipatus triremibus ad subsidia Cipri intercipienda se contulisset; Pialim cum quinque ac septuaginta Rhodum proficisci, ibi Mustapham cum reliqua classe opperiri, atque ex nostrorum successibus consilia capere præcipit. In Cyprum ne statim universis viribus Turcæ contenderent, an pars, uti antea decreverant, in Adriaticum sinum, pars in Cilicum mare vela darent, incertum erat.

*Amurathes
cum trire-
mibus ad
subsidia Cy-
pri intercipi-
enda pro-
fectus.*

At dum hac in consiliorum ambiguitate versarentur, Zannius imperator ad Pharum devectus, sex majoribus triremibus, atque aliquot navigiis auctus, ad Rhizoni inde